

à B. autem *Seb. Schmidio*: *Veniet super te*, sine magna rei ipsius differentia. *Illi* maluerunt communioem vocum vim, ex ipsa derivatione quodammodo conspicuam retinere, qua adventum subitaneum, impetuosum, & efficacem fere notare solet, uti patet ex collatione II. Act. I. 8. II. 2. Luc. XI. 22. XXI. 35. *Hic* omnis violentiæ suspicionem h. loco remoturus, delegit alteram, græcæ linguæ quoq; haud insuetam, qua ἐπέρχομαι pro verbo simplici ἐρχομαι usurpatur; rejecta efficaciæ expressione, quam tamē phrasīs utcunq; vertatur involvit in præpositionem *super*; qua ipsa tamen vocula *super* non minus ac reliqui, in quorum versione præpositio *in* legitur, intus penetrantem simul ac efficacem, non tantum externum superventum exprimere gestit. Cui ex asse respondet *B. Lutheri* versio Germanica. *Syrus* quoque simpliciter *venire* transtulit. *Arabs*, uti *Corn. à Lap.* testatur, voce *descensum* notante usus est. Quæ vox æque ac reliquorum interpretum, imo ipsa originalis, ut & præpositio in hac constructione, ἀνδρῶν πρὸς τὴν θεοῦ quandam continet: aut strictissimam saltem significationem, in qua omnino absentibus, & motu locali appropinquantibus tantum competere videtur, retinere nequit: Ut ita frustra sit, quod *Macedonius* hunc locum ad impugnandam Deitatem Spir. S. allegare moris habuerit; cum Scr. S. usitatissimum sit Deo Patri etiam, qui tamen ex omnium confessione verus DEUS est, talem adventum tribuere, ad indicandum superiorem præsentia gradum. Quæ præsentia Dei quoniam ex usu Scr. S. non modo nudam adessentiam, sed & operationem involvit, difficilis inter quosdam *Theol. A. C.* agitata fuit controversia: *An superior præsentia gradus, præter specialem operationem gratiosam, etiam ipsius essentia specialem approximationem inferat.* Sed cum instituti nostri ratio non concedat h. l. in difficilem illam controversiam, ea accuratione inquirere, quam sibi ejus sublimitas deposcit: veniam ab æquo Lectore consecuturos nos esse confidimus; si revocato prius in mentem Theologorum nostrorum præcepto; *Caute circa hanc questionem versandum esse, ne ab una parte infinitas divina essentia; ab altera unio NN. in Christo personalis, & solatium fidelium ex gratiosa divina præsentia haustum periclitetur;* iudicium nostrum non præcipitemus: verum B,
Ger-